

quodam generale, in quo mali pereant: boni autem pietatis accipiant mercedem.

71. Et sanè tanta rationis hujus est vis, ut naturalis quedam semper ipsis etiam gentilium animis, insita fuerit futuri judicij notitia: id quod vel Poetarum fabulae probant, qui Minoem, Radamantum & Aeacum apud inferos, Iudices mortalium constituerunt.

72. Sistendi verò sunt huic judicio homines quotquot vixerunt, vivunt, victuriq; sunt universi, boni & mali, justis & injustis, adeoque omnes gentes & tribus terrae Matt. 13. 48. & 49. 24, 30. 25, 32. Act. 24. 15.

73. Praesidebit judicio huic, justissimus ille à Deo constitutus iudex mortuorum & vivorum, Christus Iesus: cui Pater dedit potestatem Iudicij faciendi, quia Filius hominis est: talis nimirum Iudex, qui intimos cordium humanorum scrutatur recessus: & coram quo omnium patent conscientiae. Act. 17. 3. Iob 5. 27.

Luc. 22.
30. 1. Cor.
6. 2.

74. Assessorum vicem sustinebunt Apostoli & reliqui sancti, ut qui sessuri dicuntur super duodecim sedes, & judicaturi duodecim tribus Israel: non quidem, quod hujusmodi externa spectacula in judicio illo sint futura: Sed quia partim Apostolorum fides, omnem Israelitis excusationem est ademtura: partim ipsorum, ut & reliquorum Sanctorum doctrina, norma quasi erit, ex qua univer-

niver-